

277

275

281

271

286

266

326

226

376

176

Ende

Anfang

266

Plutarchus in vita Salomonis scriptum prodidit, Milesios, quodam tempore apud hanc insulam hospites a piscatoribus rete trahentibus jactum emisse, qui aureum extrahentes [extrahebant] tripedem, quem ferunt Helenam, cum e Troja navigaret, quodam oraculo admonitam, in his locis immersisse. Varia de hac re narratio est, ut patet supra Fol. 125.

Ex hac insula Hippocrates fuit, divinus ille medicus, cuius adhuc exstant opera, et ruinae domus ejus ostenduntur et hortus herbarum medicinalium.

Symus etiam ejusdem artis clarissimus inde originem traxit. Quondam etiam insigne templum Aesculapii ibi erat, in quo Antigonissae imago ab Apelle depicta, et Venus nuda, arte ingeniosissima.

Hanc insulam cum desiderio vidi, ut clarissimis doctoribus medicis urbis Ulmensis, mihi utique colendissimis, de ea referre possem, cum haec insula singulariter sacris (D) divae medicinae fuerit dicata, et ratione medicorum in ea genitorum, et ratione glebae salubris, fermentis aromaticas herbas et radices, et ratione librorum medicinae in hac insula factorum. Eadem etiam ratione insula Delos honori habita est, quia in ea Apollo, medicorum summus floruit, ut patet supra fol. 154 b. Post quem medicina quingentis annis abolita fuit, et in hac Coa insula per Hippocratem reinventa. Occasione ejus hic videre placet aliquid de clarissimis primis divae medicinae inventoribus.

Apollo Vulcani et Minervae filius, a matre, sapientiae dea, in multis instructus et postea ingeniosus factus, primus herbarum novit virtutes et radicum vires et ad opportunitates hominum earum virtutes adaptavit, et ita medicus efficax factus ab hominibus divinos honores habere meruit et vivens pro deo colebatur. Fuit autem ante Domini incarnationem anno 1740 sub temporibus Isaac patriarchae. Multa autem ficta propter insignia sua facta de eo habentur. Dicitur enim, quod dum audivisset, uxorem suam, quam impregnaverat, habuisse cum altero viro colloquium, iratus eam occidit, facti vero poenitens cum remediis suis eam ab inferis nequiret revocare ad vitam, secto ejus utero infantem vivum eduxit eumque Aesculapium vocavit. Juno etiam, dum esset sterilis, sibi conquesta est, qui eam invitavit, dans ei comedendam lactucam agrestem, a qua praegnans facta fuit. Quo etiam tempore fuit Chiron quidam, vir justissimus, medicus expertus de

